

pleuit, vacare toto illo ſpatio debeat. *Secundo*, an brevis officij cura ſit prohibita. *Tertio*, quomodo computanda vacatio eius, qui per aliqua diſcontinuaſta ſpatia in officio fuit, nec tamen triennium expleuit. *Quarto*, ſi triennium expleuit diſcontinuaſta ſpatia, an integra expectanda vacatio. *Quinto*, an computatio ſit facienda de momento ad momentum. Circa quæ

Aſſertio 1. qui triennium non expleuit, non indigere vacatione.

Aſſertio 2. qui non expleuit partem ex alio tantum aſſerere poteſt.

83 Dico primò. Qui per triennium in officio non fuit, non indiget vacatione aliqua, vt ad aliud officium tranſeat. Conſtat ex tenore Conſtitutionis, in qua integrum triennium poſtulat. Dico ſecundò. Ad aliud officium tranſiens ante triennium expletum, debet deſiſtere, vbi primum pars triennij, quæ deerat, fuerit terminata. Sic vniuerſa Societas Conſtitutionem Pontificiam intellexit, quæ, ſi eo modo non deberet intelligi, eneruis proſus redderetur. Poſſent enim officia ad tempus triennio minus attribui, & ſic in ſingulis ſine interruptione per totam vitam continuari. Quòd ſi dicatur in eo non eſſe inconueniens, dum Pontifex aliud in Conſtitutione non exprimit, & Societas iure ſuo vitur: & inſuper bonum illud ex eo haberetur, quòd in eodem loco non prorogatur officium, vnde & fatidium ſubditorem ex prolixà ſuperioris eiùdè gubernatione vitatur. Contra eſt; quia præcipua Pontificis fruſtratur intentio; videlicet viris doctrinà & pietate inſignibus, quibus referata eſt Societas, locum in gubernatione relinquit: vt enim oſtendimus, ex imminuto cuiuſque officij ſpatio iudem poſſent in gubernatione dum viuere perdurare. Circa hoc ergo non poteſt vllò pacto dubitari.

Expleto non licet officij etiam per dies paucos ante vacationem.

Declaratio R. P. Generalis.

Particula Nullatenus via Generalis.

Oppoſitum verofimile oſtenditur ſectus à R. P. Generalis declaratione

84 Dico tertio. Ille, qui per triennium in officio fuit, non poteſt etiam per dies aliquot ante expletam vacationem ſequi anni illud, aut aliud ſuſcipere, iuxta declarationem R. P. N. Goſwini, qui de ſpatio dierum octo interrogatus ſic addidit: *Nec pro breuioris temporis ſpatio, & ſolerti animaduerſione curetur, ne contrarium in vllò præſcribitur euentu, quia id licet fieri nequit, nec debet permitti.* Sic ille. Ratio eſt: quia Conſtitutionis tenor ſic indicat, aſſumptionem omnem officij prohibens, vnde & ad aſſumptionem per breue tempus debet extendi. Id quod particula *Nullatenus*, quæ Pontifex vitur, non obſcurè ſignificat, quæ vniuerſalis eſt, & tantæ vis, vt nec in caſibus alijs permiſſis locus ſit oppoſito: vt ex Iaſone in L. 1. §. *Sublata. D. Ad Trabell.* probat Marius Antoninus Lib. 2. *variar. Reſolut. 32. num. 6.* De quo etiam Auctores, quos adducit P. Thomas Sanciſ Lib. 6. *de Matrimonio, Diſput. 32. num. 6.*

deputari valeant. Nam electio, aſſumptio, & deputatio ſignificant officium non tranſeunt, & ſemiplenè committi, ſed aliquo adminiſtrationis modo qui diuturnitatem dicat, & quod vulgò dicimus *de propoſito*, & cum plenà poteſtate. Et hoc modo ritè congruit vis particule præſatæ: vt ſcilicet nullatenus poſſint, qui non vacarunt, ad officia iurisdictionalia ex propoſito designari. Et quidem ſi ius vtrumque, & Doctores euoluamus, verba electionis, aſſumptionis, & deputacionis, non inuenientur caſui præſenti poſſe conuenienter adaptari. Si enim Rector per dies paucos extra Collegium futurus, dicat alicui vt ſuo loco curam illius habeat, neque electum ipſum, neque aſſumptum, neque deputatum propriè licet aſſeramus. Eſt ergo ſimplex quædam designatio ad aliqualem curam, qualis committi ordinariè ſolet.

Satis robuſta argumentatio.

86 Et ex hoc argui ſatis robuſte poteſt: nam officia Rectoris Seminarij, Miniſtri, & aliorum, de quibus *ſſ. præced.* poſſunt ſuſcipi poſt triennium in ſuperioratu perfecto decurſum, quia illi Superiores cum plenà & proprià iurisdictione non ſunt: atqui tales exiſtunt qui in huiusmodi abſentia breuibz relinqui poſſunt, & ſolent: ergo non eſt pro illis rigor vacationis neceſſarius. Maior conſtat, & Minor eſt comperta: quia ſic ſubſtitutis ſolùm domesticæ obſeruantie cura committitur: & vt aliqua quandoque præſent, quæ maiorem auctoritatem requirant, quàm ea, quæ Miniſtro fortè competat: ergo ſuperiores non ſunt, de quibus loquitur Conſtitutio. Quod roboratur ex iis quæ habentur in Formula Congregationis Prouincialis §. 4. vbi dicitur ad Congregationem dictam ius habere Vice-præpoſitos, & Vice-Rectores, qui toto principalium Superiorum officio funguntur. Ideò profectò, quia veri Superiores ſunt cum plena iurisdictione. Ex quo ſequitur eos, qui non toto principalium Superiorum funguntur officio, non eſſe proprios superiores, de quibus loquitur Conſtitutio; quia iuxta ſtylum Societatis loquitur, & terminis in eadem vſitatis: nec magis de illis curat, quàm de Miniſtris, & alijs explicatis: & certè vt ſcrupulus omnis in hac parte ceſſaret, poſſet in designatione huiusmodi ob breuem abſentiam res iuxta modum dictum explicari.

Cui nona vis ex Formula Congreg. Prouincialis.

87 Quia verò vrgeri poteſt ex facultate ad caſus referuatos, quæ Vicariis, & Subprioribus conuenit in abſentia principalium Superiorum: & ita de Vice-Rectoribus idem dicendum propter eandem rationem, iuxta ea, quæ habet Diana Parte 3. *Tractat. 2. Reſolut. 38.* P. Quintanad. Tomo 1. *Tractat. 3. Singulari 13.* Iuniperus *de Caſibus referuatis, Parte 1. Diſputat. 8. Queſt. 2. Cap. 2.* & alij apud ipſos: Reſponderi poteſt retorquendo argumentum: nam in Societate qui dicto modo ſuperiorum loco relinquuntur, non habent facultatem dictam, vt à R. P. Claudio eſt declaratum. Poſſe autem id ita in Religione conſtitui, tradit Diana ſuprà, & P. Suarez Tomo 2. *de Religione, Lib. 6. de voto, Cap. 7. num. 17.* vbi ita ſcribit: *Si quis habeat ſub ſe coadiutores regimini, vt Vicarios, vel Miniſtros, illi non habent hanc poteſtatem ordinariam, ſicut nec ſpiritualem iurisdictionem habent, niſi delegatam accipiant, vel quando in abſentia Prælati vicem illius gerunt cum tota iurisdictione, iuxta vniuerſ-*

Ex facultate pro referuatis inſtantia contraria.

Retorquetur argumentum, & in Societate talem non eſt facultatem.

P. Suarez

vniverſalique Religionis conſuetudinem. Sic ille; qui & videndus Tomo 4. *Tractat. 4. Lib. 2. Cap. 2. num. 2.* Sicut ergo Miniſtri quando in abſentia Superiorum gubernationem ſuſtinent, facultatem pro referuatis non habent, quando vicem illorum non gerunt cum tota iurisdictione, vt ordinariè contingit; ita etiam de iis Vice-Rectoribus eſt dicendum, quibus tota non ſolet iurisdictione conferri. Quod ex Regulis Miniſtri colligitur, in quibus illis iniungitur quid in Superiorum abſentia agere debeant, manifeſtè inſinuatione limitata facultatis. Non ergo abſentia tantum iuris confert, quantum aliqui hallucinantur apud Citatos. Et pro eodem facit id, quod tradit Iuniperus ſuprà, num. 7. & 8. Vicarios ſcilicet à Guardianis conſtitutos dictà facultate etiam in abſentia carere; immò & in morte; nec poſſe iurisdictionis actum aliquem exercere, ſed tantum præſidere in Conuentu, ne tumultus fiat.

Peculiaris Iuniperi doctrina circa Vicarios.

Non admittitur pro caſu mortis ſuperioris in Miniſtris.

Congreg. 8. Decretum.

Illius com- modo ex- plicatio.

88 Sed certè quod ad mortem attinet, aliter eſt de Miniſtris dicendum, quia tunc ordinariam iurisdictionem habent, vt ait P. Suarez loco citato Tomo 4. & colligitur ex P. Thoma Sancto in *Opere Morali, Lib. 4. Cap. 33. num. 16.* vbi P. Suarj doctrinam amplectitur. Congregatio autem 8. pro eodem ſic ait: *Decreto 10. Statuit, ſicut abſente, ita etiam moriente ſuperiore alicuius loci; huius curam ad Miniſtrum pertinere, etiam in Dombus Profeſſis, quamuis ipſe Profeſſus non ſit. Licet nihilominus Superiori, cum Domo, aut vita excedit, alium nominare, qui eam curam habeat, ſi Prouincialis citò moneri non poſſit, aut alia grauis cauſa id ſuadeat.* Sic autem dicens non eſt ita intelligenda, vt parem abſentia & mortis cauſam faciat in omni euentu; ſed quando abſentia notabilis eſt, quia grauis illius occurrat cauſa; eſt citò moneri Prouincialis poſſet, ab eo deberet reſponſum, & designatio vicemgeſturi ſimul expectari: non ergo de ordinarijs abſentia loquitur, pro quibus Prouincialem moneri non eſt neceſſarium; & ita in illis non licet, quod in morte ſuperioris. Licet autem in alijs, quando plena iurisdictione ſic ſubſtitutis delegatur.

Non omne breue tempus per R. P. Generalis declarationem excluſum.

89 Quamuis ergo circa prædicta declarationi R. P. N. Generalis ſtandum ſit, in eà tamen obſeruandum, non omne breue tempus excludere: tantum enim breuius ſpatio octo dierum non eſſe etiam admittendum affirmat, verbis illis: *Nec pro breuioris temporis ſpatio.* Non ergo licebit per ſeptem, aut ſex, vel quinque fortè dies: ſed quòd per vnum, duos, aut tres non liceat, minime ab eodem affirmatur. Quod autem facere superiores ordinariè ſolent, vt domo excedentes eodem die reuerſuri, alicui curam eius committant, ſine omni poteſt ſcrupulo ſuſtineri. Quòd ſi qui illum moneant, erunt profectò minime docti, & ita ſunt à doctioribus inſtruedi. Doctiores autem, ſi quæ adducta ſunt perpendant, non poterunt rationabiliter dubitare. Et cum circa hoc per Conſtitutionis Auctorem liceat Theologis verofimilem ferre ſententiam: quod iuxta illam factum fuerit, ſi quis damnat, minime eſt de illius contradictione curandum.

Aſſertio 4. circa officij eum interuallis, & quomodo

90 Dico quarto. Qui in officio ſine interuallis, aut per interualla fuit, nec tamen triennium expleuit, vt illud iterata eiùdem, aut alterius aſſumptione expleat, nullà indiget vacatione. Eo

autem non expleto, non ſufficit vacatio quæuis, neque poteſt interpoſita vacatione ad proſecutionem iuari. E. g. Per annum qui Rector fuit, & cum per annum vacaſſet, factus eſt Vice-Prouincialis: in quo munere annum conſumpſit integrum: poſtea Rector factus, cum alius non decurrifſet annus. Tunc quidem triennium non præceſſit, eſt vacatio neceſſaria eſt, duo anni vacationis fuerunt, ex quibus dimidijs ſupra neceſſarium tempus excurrit. Quo euentu dicimus illius ſpatij exceſſum nihil conferre, immò nec totum, quod in priori vacatione fluxit. Primum conſtat; quia Pontifex de vacatione loquitur, quæ poſt triennium eſſe debet: cum ergo illud non præceſſerit, neceſſaria vacatio non eſt, & ita triennium officij poteſt ſine illà compleri. Quòd verò triennio non expleto non ſufficiat vacatio quæuis, eisdem rationibus conſtat, quibus *Aſſertione prima* probauimus idem dicendum quando ſine interruptione officia aſſumuntur. Pariter enim Societas Conſtitutionem circa hoc intellexit, quæ, ſi aliter diſponeret, inutilis proſus eſſet: qualibet enim breui vacatione officia ſuſcipi poſſent, & ſic vis Conſtitutionis elidit, & Pontificis intentio fruſtrari. Quamuis enim dici poſſit eum, qui per aliquod tempus vacat, ſicut ceteros obedire; ea certè obedientia diuturna non eſt, quòd intendunt Pontifices, nec locus multis relinquitur, qui gubernare poſſunt, dum Prælationes ab eisdem, qui vix certè vacant, occupantur.

non ſit obſer- vacatione, aut illa ſi neceſſaria ſit.

91 Iam quòd interualla, quæ inter gubernationem vnã & aliam præceſſerunt, triennij computationi non obſtant, praxis Societatis oſtendit, vnde perinde computatio faciendã acſi illa non præceſſiſſent. Id tamen non ita ab omnibus intellectum, neque vbiq; practicum. Ita enim videtur computatio faciendã, vt cum proportione vacatio temporis debeat gubernationis reſpondere. Cum ergo annus dimidijs pro triennio aſſignetur, dimidium anni integro reſponderet anno. Iuxta quam proportionem, qui per annum gubernauit, ſi per ſex meſes vacet, iam talis gubernationis in ordine ad ſubſequentes nulla eſt habenda ratio: quod ſimiliter dicendum ſi per duos gubernauit annos, & vnum vacationis habuit. Per quod ceſſant frequentes ſcrupuli, qui exoriri poſſunt ratione breuium gubernationum, quæ aliquibus ſunt ſolita demandari ob abſentiam ſuperiorum: eò quòd vacationis ſpatia diuturniora ſint, quàm gubernationes ipſæ. Nam ex illis, ſi quamplures ſint, triennium velle conflare, omnino videtur à mente Pontificis alienum.

Interualla gubernationis non iurare pro minnenda vacatione. Licet oppoſitum verofimile.

92 Sed his non obſtantibus R. P. N. Generalis Goſwini circa hoc ita ſcribit: *Qui diuerſis temporibus non continuatis Vice-Rector, aut Superior ratio, vt ſuit ſpatio trium annorum, per annum & dimidium non iuueni debet præſe vacare: & hoc eſt conforme Breui ſue Sanctitatis. Intelligendum tamen ſi ab vna ad aliam vicem annus cum dimidio non effluxit. Hæc ille qui non cum eo rigore loquitur, quo fuerat de breui poſt triennium gubernatione locutus, vt patet ex adductis, num. 84. vnde non videtur praxis contraria penitus reprobata. Sicut neque alia vbiq; recepta: vnde Prouinciales poterunt iuxta illam pro rerum opportunitate iudicare.*

R. P. Generalis declaratio non iuueni interualla.

Licet

*vt ſum-
dum illi.*

Licet enim declarationi R. P. Generalis ſtandum ſit in ordine ad praxim, id certe eſt quando ille aliquid omnino ſeruandum ſtatuit, non verò quando ex modo proponendi ſufficienter intelligi poteſt, non enim velle ad talem obſeruantiam prorſus arctare, eò quòd oppoſitum ſit probabile, & modus ordinationis id poteſt verſimiliter perſuadere. Ratio autem pro ſententiâ propoſitâ, ea eſt, quam R. P. Generalis indicat, eſſe ſcilicet Breui ſanctitatis ſuæ conformem: ait enim eum, qui per triennium in officio fuit, debere per ſequi annum vacare: fuiſſe autem in officio per triennium, verificatur de eo, qui per interualla fuit. Ad quod quidem reſponderi poteſt Pontificem loqui de triennio ſine interpoſitâ vacatione: quæ explicatio neceſſariò adhibenda iuxta id, quod R. P. Generalis addit de vacatione anni cum dimidio: quando enim illa interceſſit inter vnam & alteram vicem, non conſtat triennium, quod obſtet, quia vacationem requiſitam habuit: ergo & de vacatione proportionatâ ſimiliter dici poteſt: ea enim facit vt non debeat computari ad triennium gubernatio, cui illa ſucceſſit. Licet autem Aſſertio de vacatione procedat, non expleto triennio, & R. P. Generalis de expleto diſponat; vtriuſque ratio eſt eadem, cum iuxta illum accedente gubernatione poſt alias, quibus triennium non expletum, vbi per tempus, quod deerat, in eâ quis fuerit, vteriuſ nequit progredi; vnde reſolutio Difficultatis quartæ eſt eadem, pro quâ

*Aſſertio 5.
deſectio in
vacatione
vt ſuppleri
per inter-
ualla poſſit.*

*Alia caſus
propoſiti.*

*Tempus
iure poſitum,
debere eſſe
continuum.*

93 Dico quintò. De triennio per interualla cõpleto idem quod de non expleto eſt aſſerendum, iuxta præcedentẽ Aſſertionem. Caſum autẽ ſic conſtituamus, vt ex anno & dimidio duo, vel parum plus, aut minus, deſint dies. Poterunt illi per alios, qui ſpatio interuallorum ſuperſuere, ſuppleri? Negandum iuxta R. P. Generalis declarationem, quia id videtur eſſe Pontificiõ Conſtitutioni conformem. Abſolute autem loquendo valde verſimile apparet id fieri poſſe, quia verificatur poſt elapſum triennium per annum & dimidium vacante, quia quod deeſſe videtur continuato illi ſpatio, æquiualeter ineſt, dum parti triennij reſpondet, & moraliter continuatur. Poteſt autem caſus aliter proponi, quamuis ad præcedentem ſpectare etiam Aſſertionem videatur: ſi videlicet triennio duo meſes deſint, aut plus aliquid, & elapſo anno ac meſibus aliquot infra ſex, idem aut aliud officium deſeratur, & per ſpatium illud, quod triennio deerat, in eo quis ſit. An ſcilicet vacatione tunc ſubſecutâ, quâ ſequi annus compleatur, poſſit talis ad idem vel aliud officium aſſumi. Et iuxta tenorem Conſtitutionis videtur negandum, quia poſt triennium elapſum non eſt integra ſecuta vacatio, vt in eadem intimatur. Quod eſt etiam communi ſcriptorum doctrinæ conformem, iuxta quam, cum tempus aliquod à iure petitur, debet eſſe continuatum. Pro quo Iura, & Doctores adducit P. Thomas Sanciũ in *Opere Morali, Lib. 5. Cap. 4. num. 31.* inde probans cum alijs annum Nouitiatus continuum eſſe debere. Verùm quia graues ſcriptores, de quibus Idem *num. 30.* contrarium fatiſ probabiliter ſentiant, negari nequit quominus hæc pars probabilis debeat iudicari: pro quâ & faciunt caſus ab eodem adducti ex iure, & Doctõribus. Et in

fauorabilibus ita eſſe generaliter iudicandum tenet laſon in *L. Si idem. D. de iurisdic. omni. iudic. &* in caſu noſtro fauorabilem eſſe huiusmodi interpretationem fatiſ videtur eſſe compertum.

94 Dico ſextò. Computatio ſequi anni vacationis non eſt neceſſariò faciendã de momento ad momentum. Videantur dicta *num. 59. & 60.* Deinde ex doctrinâ multorum, qui de ſponſalibus loquentes, pro quibus Ius ſeptennium requirit, affirmant non eſſe neceſſarium vt ſit phyſicè completum, ſed moraliter, quod contingit quando dies aliquot deſunt: quia quod parum ditat, nihil diſtare videtur: & aliqui ad hebdomadam extendunt, alij vteriuſ, vt videri poteſt apud P. Thomam Sanciũ *Lib. 1. de Matrimonio, Diſputat. 16. num. 4.* qui & id reputat probabile. Et quidem ſtante probabilitate ſententiæ, quæ modicum tempus non obſtare defendit, in illius aſſignatione magna poteſt eſſe diuerſitas, iuxta id, quod Doctores circa modicum tempus arbitrantur, vt videri poteſt apud Præcium in *Lexico, V. Tempus modicum*, & apud ſcribentes in *Clement. 1. de rebus Ecclẽſiæ non alienandis*, in quâ ponitur *Modicum tempus*. Vnde in caſu noſtro ſunt quicquid quindẽ dies eſſe modicum tempus. Quod ex doctrinâ aliâ fatiſ receptã ampliari poteſt, iuxta quam, cum numerus annorum, meſium, aut dierum ad aliquid exigitur, ſi materia ſit fauorabilis, inceptus reputatur pro integro. Quam regulam ſtatuit Gloſſa in *Cap. Cum in cunctis*, de Electione. Verb. *Exegerit*, & admittitur à Doctõribus in ætate pro Ordinibus designatâ. Quando enim Ius tempus voluit eſſe completum, id expreſſit, vt in citato *Cap. In cunctis*, vbi de ætate ad Episcopatum requiſitâ, & in *Cap. Ad noſtram*, de Regularibus, vbi de neceſſariâ ad Profeſſionem. In priori enim ſic dicitur: *Niſi qui triginta annos exegerit*. In poſteriori: *Ante conſummationem 14. anni*. Ex iure autem nouo Concilij Tridentini *ſeſſione 25. Cap. 15. de Regularibus*, cum ſexdecim requirantur anni, additur etiam debere eſſe completos. Et ſic alibi, vt videri poteſt apud Gloſſam in citato *Cap. Ad noſtram*. Cum ergo in Conſtitutione noſtrâ meſes octodecim exigantur, qui annum cum dimidio conſtituunt, videtur ſufficere, vt decimus octauus ſit inchoatus. Et certe Innocentius Conſtitutionis Auctõr vir fuit Iuris vtriuſque peritiſſimus, ac proinde probẽ ſciens doctrinam hanc in ſcriptoribus eſſe communem, & cum iis ſe agere, quos ipſe in Conſtitutione eadem, doctrinâ inſignes agnoſcit. Vidit ergo explicationem præſatam adhiberi poſſe, ſi ſequi annum completum non apponeret; & tamen non cenſuit apponendum: ergo explicationem talem ſuæ menti contrariam minime iudicauit. Quod equidem ſub doctõrum cenſurâ dictum velim, & ad ſaluandum quod accidere aliquando forſan poterit, licet oppoſitum ante factum ſemper fuerit conſulendum.

*Aſſertio 6.
vacatione
non eſſe cõ-
putandã
de momento
ad momentum.*

*Tempus
modicum
quod dicitur.*

*Cap. In
cunctis.
Cap. Ad
noſtram.*

*Meſem
18. vaca-
tionem in-
ceptum eſſe
ſufficere.*

*Aſſertio 7.
circa annũ
bifextum.*

95 Dico ſeptimo. Admiſſa ſententiã, quæ annum & dimidium omnino completum debere eſſe contendit, ſi annus bifextus occurrat, iuxta probabilem multorum mentem, quos adducit Bonacina *Tomo 3. Diſput. 3. quæſt. 1. Puncto 1. num. 5.* dies Februarij additus, non eſt computandus. Quorum ratio eſt; quia de fauore agitur; & vbi accidit, accipiendus eſt annus ſecundum ordina-

ordinarium dierum numerum, ſcilicet 365. In caſu autem noſtro fauor veritur, vt iam oſtendimus. Videndus P. Suarez *Tomo 5. in 3. p. Diſp. 29. ſect. 1. n. 7. & ſeqq.* qui omnium optime rem eſt iſtam executus.

S. IX.

Pœne contraueniẽtibus impoſitæ quos ſunt dicendã comprehendere.

*Circa
pœnas non
immoran-
dum, &
quare.*

96 **S**unt illæ fatiſ in Conſtitutione perſpicuæ, de quibus iuxta generales regulas in materia huiusmodi iudicandum, vnde nihil de illis ſpeciali ſubiiciam: tum etiam quia omnino perſuaſum habeo nullum in Societate pro contraventione eadem incurſurum. Si quid enim aliquando acciderit, quod videatur eſſe contrarium, vel bonâ agetur fide, vel probabili opinionẽ aſſenſu præſtito: quod minime condemnandum, cum ipſe Conſtitutionis Conditor eos, qui ipſum pro difficultatibus occurrentibus conſulebant, ad Theologos remiſerit, dicens: *Theologos habetis*. Vnde quod in eadem Conſtitutione habetur: *ſublata eis interpretandi facultate & auctoritate*, ſic eſt intelligendum, vt nihil aperte contra illam fiat, quo ſuo robore priuaretur. Solùm ergo hic nonnihil addendum ad ſcrupulos quosdam ſubmouendos.

*Recenſen-
tur illa.*

97 Conſtitutionis verba hæc ſunt: *Decernentes præmiſſa omnia & ſingula in perpetuum innouabiliter ſub excommunicatione lata ſententiã ac ſuſpenſionis à diuinis, priuationis vocis aſſine & paſſiua, ac officiorum quorumlibet, inhabilitatiſque ad illa, & alia quauis in poſterum obrinenda, pœnis ipſo factõ abſque alia declaratione, iam per mandantes, procurantes, eligentes, & deputantes, quam recipientes, & exequentes irremiſſibiliter incurrendis, obſeruari debere*. Sic Pontifex: qui licet pœnas ſine vllâ declaratione incurrendas ſtatuat, communis tamen ſententiã hic, ſicut alibi, applicandã, quod ſcilicet declaratio commiſſi criminis neceſſaria ſit: eã autem ſtante, non eſſe aliam declarationem per ſententiã condemnatoriam ad pœnas neceſſariam. Sic multi quos adducit P. Thomas Sanciũ *Lib. 2. Operis moraliſ Cap. 22. numer. 20. & Lib. 9. de Matrim. Diſput. 30. num. 1.* quod & Recentiores iam communiter amplectuntur. Quòd ſi dicas fieri ex hoc Generalem, ad quem præcipue officiorum diſtributio ſpectat, ab his pœnis liberum fore, quia iudicem ſupra ſe non habet, qui poſſit crimen commiſſum declarare. Id facile elidi poteſt: nam Generalis ſupra ſe habet Congregationem generalem: & præterea ſufficit habere Pontificem, quem huiusmodi tranſgreſſio non latebit, multorum zelo circa hoc indiſpenſabiliter excubante. Et vt illum lateat, excommunicationis certè pœna, cum lateat ſententiã ſit, non poterit euitari. Eſt tamen incredible tale quiddam in viro tanto futurum. Et idem de generali Congregatione dicendum. De pœnâ autem ſuſpenſionis, licet ſine ſententiã vllâ incurratur, pro quo P. Sanciũ *cit. Diſputat. 30.* eatenus ſi incurretur, quatenus quis à ſacris abſtinet ſe infamaret. Pro quo P. Leſſius in *Reſolutionibus poſthumis. verb. Bulla, num. 2. & Pharaonius pag. 402.*

*Declaratio
vt incur-
rantur
quomodo
neceſſaria.*

*Circa Ge-
neralem
difficultas
expetiã.*

98 Et Mandatum nomine omnes illi com-

prehenſi, qui Superiores poſſunt, de quibus Conſtitutio agit, conſtituere: ſunt autem Generalis, Prouincialis, ſi designatũ à Generali vigeat, non ſeruata formâ prædictâ, officium ſubire, aut in eo permanere, vel eum, quem ipſe designauerit in caſibus, quibus poteſt, vt Præpoſitos, Rectores, Vice-Prouinciales, aut Viſitatores ſuo nomine. Quod etiam de Viſitatores Prouinciæ dicendum à Generali designato. Item Præpoſitus Domus Profeſſæ, Rector, qui iuxta dictã *num. 87. & 88.* & Superior localis, qui plenâ, ſicut Præpoſitus & Rector, gaudet poteſtate, eos nominant, quos poſſunt nominare. *Procurantes* autem omnes illi eſſe poſſunt, qui aut ſibi, aut aliis officium aut conſeruandum, aut deſerendum ſtudent, medijs ad conſecutionem adhibitis. *Eligentes*: ſoli ſunt Superiores, qui & Mandantes: vnde Conſultores eo non veniunt nomine, quia votum deciſum in electione non habent. Poſſunt autem aliunde comprehendi, ſi Procurantes ſint: quod tamen non accidit, ſi ſimpliciter, & ſine ſolicitatione aliqua iudicium ſuum proferant. *Deputantes* item ſoli eligentes ſunt, quia apud illos tantum eſt poteſtas deputandi, ſeu adhibendi ad aliquid poteſtatiuè. Non ſunt autem eligentes, neque deputantes, qui aliquem in officio conſeruant; immò nec Mandantes eſſe videntur, dum non protudent, ſed negatiuè ſe habentes: licet enim tacitè mandare videantur, dum non prouident ſucceſſorem, quia proprium tamen mandatum non eſt, non cadit pœna ſupra illud, quæ ſupra perfectum actum tantummodo pronuntiat, dum aliud non inuenitur expreſſum. Cum enim pœna odiũ importet, reſtringenda eſt lex, quæ illam ſtatuit, vt non niſi ad actum proprium & perfectum extendatur, iuxta vulgarem regulam. *Odia reſtringi* &c. & communem ſcribentium doctrinam. Et actus quidem imperfectus non eſt tantum ille, qui ex indeliberatione procedit, aut effectum non habet, ſed etiam qui, cum deliberatus ſit, & effectum habeat, ex parte modi ſortitur imperfectionem. Pro quo eſt caſus in *Cap. Mandato finali de ſimonia*, vbi ſic dicitur: *Et ad reſignationes ſpiritualium & corporalium, que nullo pacto, ſed affectu animi præcedente vtriuſque taliter acquiruntur (in quo caſu ſufficit delinquentibus per ſolam penitentiam ſuo ſatisfacere Creatori) eos pro ſimonia huiusmodi non teneri*. Sic ibi. Vbi propter imperfectionem actus, non in ordine ad effectum, nam effectus verè extitit, dum temporalis res pro ſpirituali eſt attributa; ſed modi in contractu habitũ, pœna ſimoniacis decreta vitatur: vt notauit P. Suarez *Tomo 5. in 3. p. Diſput. 4. ſect. 3. num. 3.* & eſt accommodatum exemplum pro caſu, de quo loquimur, in quo effectus quidem prorogati officij datur contra Pontificis voluntatem, ſed in modo ipſius actus eſt imperfectio, quia neque mandatum, neque electio, neque deputatio eſt.

*Qui Man-
dantes, ad
pœnam
incurſio-
nem.*

*Qui Pro-
curantes.*

*Non renou-
entes ab
officio non
ſunt Man-
dantium
Et nomine
compre-
henſi.*

*Ad pœ-
nam actus
perfectus
requiritur.*

*Cap. Man-
dato, de
ſimonia.*

99 Recipientes non illi accipiendi ſunt, qui cum ſubditũ ſint, Superiorem recipiunt: illis enim obligatio nulla ſpecialis imponitur: & ex eo quòd excommunicati ſint, quod tamen non facile ſibi perſuadere debent, ad eos vitandos non tenentur, cum non ſint nominati denunciati, iuxta notiſſimam de excommunicatione doctri-

*Recipien-
tes qui-
nam.*